

simus subjecti Canonibus, qui Canonum præcepta servamus. (Epist. ad Episcopos Illyria.) Confidimus quòd nullus veraciter Christianus ignoret, inquit Gelasius I ad Episcopos Dardaniæ, unius cujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliam magis exequi sedem, præceteris, oportere, quàm primam.

Sequitur 2º. licitas, imò necessarias esse aliquando appellationes à Romano Pontifice ad Concilium generale: à iudice enim inferiori ad superiorem appellari potest: atqui Romanum Pontificem Synodo generali inferiorem esse, demonstravimus. Præterea sic jubet Christus, dic Ecclesiæ: atqui ad Concilium œcumenicum provocare, nihil aliud est quàm juxta Christi præceptum dicere Ecclesiæ, eique deferre quod fidei vel disciplinæ contrarium est, ut emendetur et reprimatur. Hæc aperta est Augustini sententia, qui asserit Donatistis, à Melchiade Papa in Synodo Romana damnatis, unum adhuc superesse per fugium, ad plenarium scilicet Concilium. Ecce, inquit, putemus illos Episcopos qui Romæ judicârunt, non bonos fuisse iudices, restabat ad hæc plenarium Ecclesiæ Concilium. (Epist. 43. n. 19.) Denique innumera sunt hujusmodi appellationum exempla, quorum longam seriem describere vetat quam prosequimur brevitas.

C A P U T III.

Utrum in definiendis fidei, morumque causis infallibilis sit Romanus Pontifex.

HÆC constantissima est Ecclesiæ Gallicanæ Doctrinæ, quam in celeberrima declaratione anno 1682 exposuit, in fidei quæstionibus præcipuas.

esse Summi Pontificis partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Contra stant Theologi quos Ultramontanos vocamus; ii verò Summum Pontificem sub duplici respectu considerant, nempe vel ut personam privatam, Doctoremque particularem, vel ut totius Ecclesiæ caput, Rectorem, Pastorem, qui ex officio et autoritate Apostolicâ partes Ecclesiæ publicas agens, fidelibus omnibus aliquod dogma ad fidem aut mores pertinens proponit, quod vocant loqui ex cathedra.

Romanum Pontificem, ut privatum Doctorem, errare posse in quæstionibus. . . . tum fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit, omnes conveniunt, ait Bellarminus. (Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2.) Papam verò, quatenus est Ecclesiæ Caput et Doctor, sive cum ex Cathedra loquitur, falli non posse contendunt Ultramontani.

P R O P O S I T I O.

Romanus Pontifex, etiam ex Cathedra loquens, in iis quæ ad fidem et mores pertinent, falli potest.

Prob. 1º. Ex Scriptura: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ait Christus, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. (Matth. 16. 18.) Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. (Ibid. cap. 28. v. 20.) Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. (Matth. 18. 17.) Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, ait Paulus. (1. Tim. 3. 15.) Unde sic: Illud privilegium non habet Romanus Pontifex, quòd in Scriptura soli Ecclesiæ promittitur: atqui in Scriptura privilegium non errandi soli Ecclesiæ, etc. ergo, etc.

Prob. 2°. Hæc fuit, à temporibus Apostolorum, non interrupta Ecclesiæ consuetudo, ut si quæ moveretur fidei quæstio, aut in se obscura, aut Hæreticorum factionibus intricata, non tantum ad Summum Pontificem, qui eam ex Cathedra definiret, sed ad Concilium deferretur: quod ex historia certissimum est: atqui perpetua hæc Synodos celebrandi consuetudo, ad dirimendas fidei controversias, manifestè probat ignotam in Ecclesia fuisse fictitiam illam non errandi prærogativam, quam Romano Pontifici tribuunt recentiores: hanc enim si novissent Patres, nonne maluissent fidei disceptationes Romani Pontificis iudicio definiri, quam Conciliorum generalium autoritate, quæ non nisi magnis sumptibus et laboribus convocari possunt, et non sine gravi populi detrimento, qui tandiù suis carent Pastoribus? Hanc viam faciliorem et magis compendiosam eò lubentius arripissent, quod in hypothesi quam refellimus, ex definitione Concilii generalis, major non accedat certitudo iudicis à Romano Pontifice ex Cathedra pronuntiatis.

Prob. 3°. Quæ iudicio infallibili semel definita sunt, ea rata et firma esse debent, neque ad novum examen, aut iudicium revocari. Nullum reipsà in monumentis ecclesiasticis occurrit exemplum retractati totius Ecclesiæ iudicii, in his quæ ad fidem et mores pertinent: atqui plurima Romanorum Pontificum, qui ex Cathedra de fidei quæstionibus pronuntiaverant, iudicia à Conciliis generalibus recognita sunt, non tantum ut approbarentur, sed etiam ut, juxta Scripturæ et Traditionis normam, expenderentur. Sic, v. g. Cœlestinus Papa Nestorii doctrinam ex Cathedra damnaverat Romæ, in numerosa Synodo: atqui tamen convocatur œcumenicum Concilium Ephesinum, à quo causa hæc iterum iudicetur; illud autem cum Ultramontanorum opinione conciliari non potest.

Prob. 4°. Cum Asiæ et Orientis Episcopi Pascha celebrarent lunâ decimâ quartâ, quamcumque in diem incidisset, hancque constantem esse et à sancto Joanne derivatam suarum Ecclesiarum Traditionem contenderent, rem non tulit Victor Romanus Pontifex: *Sed omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias, tanquam contraria rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur, datisque litteris, universos qui illic erant fratres pronuntiat, inquit Eusebius. (Lib. 5. cap. 24.) Verum, pergit Historicus, hæc non omnibus placebant Episcopis; proindè Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci et unitati caritative erga proximum congruebant: sic quæstio illa usque ad Concilium Nicænum injudicata permansit: atqui si his temporibus invaluisset opinio, falli non posse Romanum Pontificem ex Cathedra definientem, nonne statim Victori, cum suâ Ecclesiâ pronuntianti, obtemperassent omnes? Nonne inter Hæreticos annumerari fuissent rebelles, quemadmodum post definitionem Nicænam? Nonne saltem, aut Victor, aut alii, hanc prærogativam commemorassent? Nihil tamen horum contigit; ergo, etc.*

Idem argumentum sequitur ex controversia de Baptismo ab Hæreticis collato: eum, utpotè nullum, iterandum esse contendebant sanctus Cyprianus et sanctus Firmilianus, cum Ecclesiis Africanis et Orientalibus; sanctus verò Stephanus Papa Cypriani sententiam damnavit, et pronuntiavit nihil innovandum esse nisi quod traditum est. Cyprianus autem cum suis Stephanum erroris accusavit, utpotè qui Hæreticorum causam contra Christianos, et contra Ecclesiam Dei asserere conaretur. (Ep. 74. ad Pomp. iam.) Atqui non potuit Cyprianus cum suis, Romanum Pontificem erroris accusare, quin eum falli posse agnoverit, etiã dum ex Cathedra loquitur: præterea nunquam ut Hæretici habit

sunt Cyprianus et alii Stephano refragantes: atqui haud dubiè hanc notam non effugissent, si Papam ex Cathedra definientem errare non posse, tunc creditum fuisset; ergo, etc.

Prob. 5^o. Ille erroris periculo subjacet, quem errare posse agnovit universalis Ecclesia, in Conciliis generalibus: atqui Romanum Pontificem, etiam cum ex Cathedra loquitur, errare posse, etc. imò et in errorem aliquandò lapsum esse. Synodus enim generalis sexta Epistolas Honorii Papæ ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum damnavit, *tanquam alienas ab Apostolicis dogmatibus*; septima et octava Synodus iudicium illud confirmârunt: atqui tamen illæ Honorii epistolæ, cum sint responsiones ad Sergii de fide consultationem, videntur ex Cathedra datæ, utque verisimile est, post adhibitum Cleri Romani consilium. Præterea Synodus Basileensis in Epistola Synodica, quæ in Sess. 3. lecta et approbata est, sic declarat: *Si Ecclesia errare possit, cum certum sit Papam errare posse, tunc et Papa, et reliquo corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest; experièntiâ enim constat, quòd sæpè experti sumus et legimus, Papam, licèt caput, errasse, reliquum autem corpus, Papâ errante, errasse nunquam legimus.* Hæc autem approbasse Eugenium IV ex eo patet, quòd usque ad sessionem 16. legitimum declaverit Concilium Basileense; ergo, etc.

Solvuntur objecta ex Scripturis.

Objicies 1^o. Romanus Pontifex, ut successor Petri, omnia ejus privilegia habet: atqui Petrus privilegium non errandi accepit; siquidem ipsi promissum est à Christo, fore ut fides ejus non deficeret. *Simon, Simon, ait Christus, ecce satanas a petiit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua; et*

ta aliquandò conversus, confirma fratres tuos. (Luc. 22. v. 31 et 32.) Ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Habet quidem Romanus Pontifex Petri privilegia, primatui illigata; non autem ea quæ sunt Petri personæ propria: numquid enim, v. g. potest, ut Petrus, libros canonicos scribere, miracula patrare? Atqui privilegium, quod in objecto loco continetur, personæ Petri proprium est. Liquet enim ex ipsamet lectione, Christum hæc verba Petro fecisse occasione prædicationis, quâ Apostolos præmonuerat, eos proximo ejus passionis tempore violentissimam tentationem experturos esse; Petro scilicèt pollicetur fore ut in peccato, quo eum negaturus erat, non permaneat; præcipit ut fratres suos in fide, quam gratuito beneficio erat recuperaturus, confirmet: atqui nemo non videt illud ad Petri personam spectare; vel enim illud Petro proprium est, vel dicendum erit Papæ, sicut et Petri, fidem deficere non posse: atqui tamen latentur adversarii, Papam quatenus privatum, posse hæresim amplecti, et in ea ad mortem usque persistere.

Præterea, etiamsi concederetur verba Christi Petro facta, ad Romanum etiam Pontificem pertinere, non inde colligere possent adversarii, Papam minùs esse errori obnoxium, quàm tunc fuit Petrus: atqui Petrus ex laudatis verbis, non erat ab omni defectione, etiam temporanea, eximendus, ut constat tum ex historia Evangelii, tum ex loco objecto: *et tu aliquandò conversus*; ergo et à fide Papa deficere potest, ac proinde in definitionibus dogmaticis errare.

Inst. Petro ipsiusque successoribus præcipitur ut fratres in fide confirmet: atqui præceptum illud secum importat privilegium non errandi Rom. Pontificibus à Christo concessum: si enim in fide titubent, quomodò alios in ea roborabunt?

Resp. Neg. min. Præceptum enim fratres confirmandi potest à prerogativa non errandi esse

disjunctum, nisi eam omnibus et singulis Episcopis concessam volueris: iis enim pariter ex institutione divina incumbit officium populos sibi subditos in fide confirmandi. Præterea huic muneri non semel defuisse. Rom. Pontifices testatur historia. Numquid enim Liberius, inquit Tournely, *Fratres suos Orientales Episcopos in fide confirmavit, cum ad illos scribens condemnationi S. Athanasii, et formulæ Syriensi ad minimum suspectæ subscripsit? An confirmavit Honorius fratrem suum Sergium in fide, cum duas ad illum misit Epistolas, quæ in sexta Synodo damnatæ sunt, et flammis traditæ?* (Tom. 2. de Eccles. pag. 228.)

Obj. 2^o. Christus apud Joannem, Petro ejusque successoribus dixit: *Pasce oves meas.* (Joan. 21. v. 15.) Ideoque dedit omnia muneri illi ritè obeundo necessaria: atqui necessarium est præsertim iudicium in rebus fidei infallibile, cum id citare maximè debeat Pastor, ut fides in suo grege maneat incorrupta.

Resp. Neg. min. Quilibet enim Episcopus à Domino constitutus est eorum Pastor, qui ipsius curæ commissi sunt: *Pascite*, ait S. Petrus, *qui in vobis est gregem Dei.* (1. Ep. cap. 5. 2.) Paulus etiam omnibus Episcopis sic præcipit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (Act. 20. 28.) Atqui tamen singulos Episcopos in rebus fidei infallibiles esse, negant adversarii; ergo ex hoc Scripturæ loco, nihil in Romani Pontificis gratiam colligere possunt.

Obj. 3^o. Christus Petrum sic alloquitur: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (Matth. 16. 18.) Unde sic: Petrus, ac proinde illius successor, à Christo constitutus est fundamentum Ecclesiæ: atqui non potest esse Ecclesiæ fundamentum, nisi in fide ita immobiliter siet, ut ab ea nunquam deficere

possit: alioqui corrui posset ipsamet Ecclesia; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Petrus constitutus est fundamentum Ecclesiæ cum ceteris Apostolis, conc. maj. seclusis aliis Apostolis, neg. maj.

Itaque, quamvis laudata Christi verba ad Petrum specialiter pertineant, ut ejus primatus designetur, certum tamen est ea ad ceteros etiam Apostolos spectare: *Vos estis cives Sanctorum*, ait Paulus, *et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum.* (Ephes. 2. 19.) Unde Hieronymus hæc verba, *fundamenta ejus in montibus sanctis explicans*, sic interrogat: *Quenam possimus dicere fundamenta? Apostolos: in illis erant fundamenta: ibi primùm posita est fides Ecclesiæ.* (In Psal. 86.) Atqui licet singuli Apostoli fuerint Ecclesiæ fundamentum, inferri non potest successores Apostolorum, sive Episcopos, à fide non posse deficere; ergo nec illud concludi potest in gratiam Romani Pontificis, licet Petri successoris; sed illud unum sequitur, nempe eum cum aliis Episcopis, quanquam præ illis, fundamentum esse Ecclesiæ, ideoque, non secus ac ipsos, falli posse, quamvis præcipuas partes in iudiciis habeat; sicque primatus ejus stat integer, nostraque semper sibi cohæret doctrina. Hoc autem sensu Apostoli dicuntur *fundamentum Ecclesiæ*, quod fide quam prædicarunt, tanquam basi immotà totantatur Ecclesia.

Solvuntur objecta ex Conciliis.

Obj. 1^o. In Concilio Chalcedonensi, (Act. 2.) lectæ sancti Leonis Epistolæ, Patres exclamarunt: *Hæc Apostolorum fides. . . . Petrus per Leonem ita locutus est:* atqui illud supponit Romanum Pontificem, ex Cathedra definientem, falli non posse; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Si enim honorificè de sancto

Leone locuti sunt Patres Chalcedonenses, quia, ut ferunt acta Concilii, *Leo pie ac verè docuerat*, pariter dici potest Petrum per alios etiam Episcopos loqui, dum germanam ipsius doctrinam tradunt. Quinimò et ipse Christus recte dici potest per Episcopos et Pastores, etiam inferiores, loqui, cum ipse sic testetur: *Qui vos audit, me audit*: atqui tamen nemo concludet singulos Episcopos, et Pastores *infallibiles* esse; ergo nec idem de Romano Pontifice inferri potest; præsertim cum Patres Chalcedonenses suà agendi ratione satis probaverint, se Papam, ut errori obnoxium, agnoscere. Celeberrimam enim illam sancti Leonis Epistolam ad Flavianum, qua Eutychniana Hæresis damnabatur, examini, suoque iudicio subjecerunt, et cum Symbolis Nicæno et Constantinopolitano contulerunt, ut explorarent an fidei Catholicæ consentiret; quod constat ex act. 4. atqui non ita se gessissent, si Romani Pontificis iudicium, extra omne erroris periculum esse positum, existimassent; ergo, etc.

Obj. 2°. In Concilio generali VI. an. 680, lectæ sunt duæ S. Agathonis Papæ Epistolæ. In posteriori dicit missas à se legatos fuisse, non ut *tanquam incerta* expenderentur quæ suo in Concilio declaraverat; sed ut *tanquam certa et immutabilia* promulgarentur. Qui verò inquit hæc confiteri noluerint, ut *infestos Catholicæ atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus*. Nèdum autem Agathonis doctrinæ contradixerit Synodus, eam *tanquam ex Spiritu Sancto dictatam*, per os B. Petri prolata *suscipit*. (Tom. 6. Concil. pag. 688 et 68.) Ergo tum S. Agathio, tum Synodus Œcumenica, persuasum habuerunt infallibilem esse Rom. Pontificem.

Resp. Neg. conseq. Dicit quidem S. Agathio *certa et immutabilia* esse quæ definiat, et damnationis reos qui refragarentur; quam autem ob causam? Non quòd erroris immunitatem sibi

arrogaret; sed quia doctrinam hanc pertinere ad fidem Catholicam certus erat. Declarant quidem ejusdem Synodi Patres se Agathonis doctrinam, *tanquam ex Spiritu Sancto dictatam, suscipere*. Id de qualibet alia doctrina divina et apostolica dici potest, à quocumque Episcopo proferatur. Præterea si Rom. Pontificem ab omni errore liberum esse crediderint, cur Agathonis Epistolam non approbârunt, nisi postquam in Concilio lecta et excussa fuit, cumque SS. Doctorum fide collata? (Act. 8. et 18.)

Denique nèdum putaverit hæc Synodus infallibilem esse Rom. Pontificem, clarissimum oppositæ sententiæ dedit testimonium, dum scilicet Honorii Papæ ad Sergium Patriarcham Constantinop. Epistolam execrata est, tanquam ab Apostolicis dogmatibus alienam, et impia dogmata confirmantem. (Sess. 13.)

Obj. 3°. In Concilio generali VII. an. 587, Episcopus Tauromeniæ, nullo contradicente, dixit: *Veluti divinum Orthodoxiæ terminum esse litteras, quæ ab Adriano Papâ senioris Romæ... missæ sunt* (Act. 2. tom. 7. Concil. p. 135 et 136.) Porro ejusmodi non fuissent Adriani litteræ, si potuisset error in iis contineri.

Resp. Nihil probat istud elogium: idem enim dici posset de cujuscumque Episcopi litteris, quæ orthodoxam fidei definitionem continerent. Adriani I. Epistolas tanto encomio non decorârunt Patres, quòd eum in errorem labi non potuisse crederent; sed quia ipsius doctrinam Apostolicæ Traditioni consentaneam deprehenderunt.

Obj. 4°. In Sede Apostolica, inquit Synodus generalis VIII, *immaculata est semper Catholica reservata Religio, et sancta celebrata doctrina*. (Tom. 8. Concil. pag. 688.) Declarant etiam Patres se Papam Nicolæum, *tanquam organum Sancti Spiritus habere*. (Ibid. Regul. 2. pag. 1127.) Quis autem dixerit errare posse Spiritus Sancti organum?

Resp. Declarat quidem Synodus in Sede Apostolica, sive Ecclesia Romana, integram et illæsam semper fidem stetisse, quod ulro confitemur: *An verò, inquit Honoratus Tournely, errare illa cum suo Pontifice absolute possit, neque affirmat, neque etiam negat.* Quòd autem aiunt ejusdem Synodi Patres, se Nicolaum I tanquam organum *S. Spiritus habere*, id etiam meritò dici potest de quocumque Episcopo, qui veritates à Spiritu Sancto revelatas annuntiat.

Obj. 5°. Concilium Lateranense quartum sub Innocentio III. Rom. Ecclesiam vocat *matrem et magistram omnium fidelium.* (Tom. 11. Concil. pag. 148.) Atqui errare non potest omnium fidelium magistra; alioquin ipsam sequendo errarent omnes fideles.

Resp. ad rem non pertinere istud argumentum; in eo quippe sita est præsens quæstio, utrùm Rom. Pontifex ex Cathedra docens, errori sit obnoxius: prædicta verò Synodus non loquitur, nisi de Rom. Ecclesia. Præterea etiamsi de Rom. Pontifice verba faceret, non tamen inde inferri posset eum esse infallibilem. Singuli enim Episcopi sunt Ecclesiarum suarum patres et magistri: numquid idcirco privilegium non errandi sibi arrogat? et quemadmodum, errante alicujus Diocesis Episcopo, non ideò errant omnes qui in ea versantur fideles; ita et Rom. alicujus Pontificis error totum non inficeret populum Christianum.

Solvuntur objecta ex SS. Patribus.

Obj. 1°. S. Irenæus seculo II. ita docet: *Eamquam habet (Ecclesia Romana) ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes Hæreticos.* (lib. 3. adv. Hæ. cap. 3. n. 5. p. 175.) Atqui si Pontificis, seu Ecclesiæ Romanæ, judicium non infallibile sit.

quomodo indicatà ejus Traditione confundentur omnes Hæretici?

Resp. in iis verbis nihil esse quod Ultramontanorum opinioni faveat. Ait quidem S. Doctor Apostolicam Traditionem semper in Ecclesia Romana servatam fuisse. Veram esse illius doctrinam probat, ex eo quòd cum Traditione Apostolica consentiat, non autem ex speciali non errandi privilegio Rom. Pontificibus concessio. *Hic tamen locus, inquit Tournely, idoneus maximè fuisset tali privilegio commendando, quo velut firmissimo ariete Hæreticos omnes debellasset.*

Obj. 2°. S. Cyprianus in Epistola 55. ad Cornelium Papam conqueritur, quòd Hæretici quidam *navigare audeant et ad Petri Cathedram literas ferre, non cogitantes eos esse Romanos, (quorum fides Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum: (pag. 86.)* atqui nisi Rom. Pontifices essent infallibiles, posset ad eos adrepere perfidia; ergo, etc.

Resp. Id unum ex iis verbis colligi potest, nempe Rom. Ecclesiam perfidis, qui fraude ipsi fucum facere nituntur, non patrocinari, si eos noverit: id verò nihil habet affinitatis cum præsentì controversia, utrùm scilicet Rom. Pontifex in definiendis rebus fidei errare possit. Mirum profecto est hunc nobis objici Doctorem, qui tam fortiter dogmaticis Stephani Papæ decretis restitit.

Obj. 3°. S. Hieronymus Rufinum sic compellat: *Scito Romanam fidem, Apostolicà voce laudatam... non posse mutari: (Lib. 3. Apolog. adversus Rufinum, tom. 4. pag. 449.)* atqui mutari poterit fides Romana, nisi in definiendis fidei quæstionibus infallibile sit Rom. Pontificis judicium.

Resp. Neg. min. A fide enim Papa deficere potest, quamvis eam integram retineat Sedes Apostolica. Aliud quippè est Sedes Apostolica, aliud qui eam occupat Rom. Pontifex.

Obj. 4°. Sanctus Augustinus de causa Pelagianorum ita affirmat: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt, causa finita est.* (*Serm. 131. de verbis Evangelistæ Joannis, cap. 10.*) Atqui causa Pelagianorum finita non fuisset, si in ea definienda errare potuisset suis in Rescriptis Romanus Pontifex; ergo, etc.

Resp. 1°. Cum objicerent Pelagiani auctoritatem Zozimi Papæ, qui in primo suo Concilio Pelagii confessionem pronuntiaverat esse Catholicam, et fidem Celestii irreprehensam, postquam conatus est sanctus Doctor verba Zozimi sanum in sensum flectere, subjicit: *Si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio, vel Pelagio, in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata . . . approbanda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prærogationis notæ Clericis Romanis inveniendæ.* (*Lib. 2. contra. 2. Epist. Pelagii, cap. 3. num. 5.*) Atqui hæc verba manifestè probant, non credidisse Augustinum, in causa Pelagianorum falli non potuisse Romanum Pontificem, etiam cum suo Clero pronuntiantem.

Resp. 2°. Neg. min. Quamvis enim suis in decretis errare possint Romani Pontifices, non immeritò tamen dixit Augustinus: *causa finita est*, cum audisset à Sede Romana venisse rescripta, quibus Innocentius I, judicium à Conciliis Africanis contra Pelagianos latum confirmabat; scilicet Hæretici illi ab Ecclesia Romana non parum auxilii sperabant, quia Romæ non pauci erant qui ipsis faverent. Postquam autem à Sede Apostolica, præter expectationem suam, damnati fuissent, nihil præsidii ipsis aliunde suppetebat, nec erat cur provocarent ad Episcopos Orientales, quia et ipsi utique Christiani sunt, inquit ibidem Augustinus, *et utriusque partis terrarum fides ista una est.*

Intra eas autem circumstantias coerceri debet Augustini sententia; non autem ad omnes fidei

causas extendi, de quibus à Romano Pontifice rescripta venerunt: alioquin illud profectò declarasset, cum agit de controversia Cyprianum inter et Stephanum, circa Baptismum ab Hæreticis datum, dixissetque, *Romæ à Stephano Pontifice rescripta venerunt, causa finita erat*: atqui è contrario testatur, tempore sancti Cypriani, causam nondum finitam fuisse; (*Lib. 2. de Bapt. cap. ultimo.*) variis in locis asserit, ut jam diximus, non debuisset Cyprianum Stephani sententiæ acquiescere, donec plenario totius orbis Concilio, et universæ Ecclesiæ concordissimâ auctoritate, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Denique non ait Augustinus, finitam esse Pelagianorum causam, ob sola rescripta quæ à Romano Pontifice prodierunt; sed etiam quia à duobus Conciliis, ante celebratæ, jam definitæ fuerat; *Jam de hac causa, inquit, duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam.*

Obj. 5°. Asserit S. Bernardus in Sede Apostolica non posse fidem sentire defectum: hæc quippè hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquandò dictum est, *ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* (*Epist. 190. in præfatione tom. 1. pag. 643.*) Ergo, judice S. Bernardo, in definiendis fidei quæstionibus errare non potest Rom. Pontifex.

Resp. Neg. conseq. De sede loquitur S. Doctor, non de Pontifice; ad sedem refert, non autem ad Pontificem, hæc Christi verba, *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*: porro inter sedem et Pontificem plurimum est discriminis. Ipse (summus Pontifex) inquit clarissimus Cardinalis d'Ailli, *et Sedes Apostolica non sunt idem*; (*Resp. ad obj. Joan. Montesson*) errante igitur Rom. Pontifice, non ideò errat Sedes Apostolica. Hinc ista Alphonsi de Castro verba, qui inter nobilissimos seculi XVI Theologos recensetur: *Si quando fortè aliquis Rom. Pontifex in definitione*

fidei erravit . . . erravit tunc homo qui in Sede Apostolica erat ; sed non erravit Sedes Apostolica. (*De justa Hæretic. punit. lib. 1. cap. 4. pag. 32 et 33. tom. 3. Edit. Paris. 1578.*)

Solvuntur objecta ex Rationibus Theologicis.

Obj. 1^o. Si Romani Pontificis iudicium non sit firmum et immobile , nisi universalis Ecclesiæ consensus accesserit , jam nulla erit ejus , præ ceteris Episcopis , prærogativa : quis enim negaverit , cujuslibet Præsulis iudicium ab omni erroris periculo tutum esse , si totius Ecclesiæ consensu firmatum fuerit ? atqui absurdum est dicere , nullam esse Romano Pontifici , præ ceteris Episcopis , prærogativam ; ergo , etc.

Resp. Neg. maj. Ille enim multiplicem , præ aliis Episcopis , habet prærogativam , qui sacrorum Canonum executioni in universo orbe Christiano invigilare , pro suo jure , potest et debet ; qui nova potest condere decreta , quæ non ad unam tantum Diocesim , sed etiam ad omnes Ecclesias pertineant : cui , tanquam unitatis Ecclesiasticæ centro , omnes adhærere debent fideles : atqui nobilibus illis prærogativis ornatur Romanus Pontifex , quamvis ipsius iudicia erroris periculo subjaceant , donec accesserit universæ Ecclesiæ consensus ; ergo , etc.

Obj. 2^o. Romani Pontificis decretis acquiescant fideles necesse est : atqui non tenentur decretis errori obnoxii acquiescere ; ergo , etc.

Resp. Dist. maj. Cum nulla est ratio non acquiescendi , et possunt sine peccato obtemperare , conc. maj. necesse est semper et sine ulla exceptione , quasi nulla esse possit ratio non acquiescendi , neg. maj.

Se habent enim Pontificia decreta , respectu fidelium , ut paterna mandata ratione familiæ : tenentur sanè filii parentibus obsequi , sed eâ lege ,

ut si quod jubet pater , à Deo prohibitum esse constiterit , tum filii servatâ , quæ patri etiam erranti et malè præcipienti debetur , reverentiâ , non obsequantur : Patrem enim qui in cælis est , magis revereri debent , quàm eum à quo in terris lucis usuram acceperunt : porrò justa esse potest causa Pontificis decretis non acquiescendi , vel ex decretorum vitio deducta , si à recta fide , aut à bonis moribus aliena sint , vel ex modo quo fuerunt in lucem edita , si nempe juxta receptas consuetudines promulgata non sint.

Obj. 3^o. Nobis fatentibus , Ecclesiam universalem Petrus repræsentavit ; eadem proindè est illius successoris prærogativa : non potest autem Rom. Pontifex universam Ecclesiam repræsentare , quin ipsi concessum fuerit non errandi privilegium ; quam enim ob causam asserimus Concilium generale , in iis quæ ad fidem et mores pertinent errare non posse , nisi quòd universalem Ecclesiam referat ?

Resp. universam Ecclesiam in Concilio œcumenico longè aliter repræsentari , quàm in Petro et Rom. Pontifice. Ecclesiam in Petro , tanquam in typo et figura significatam esse ait clarissimus Bossuet. Sic vitam activam in Martha , et contemplativam in Maria ejus sorore designari passim docet Augustinus. Longè autem aliter se habet , et perfectiori modo Ecclesiam repræsentat Concilium generale , sive Pastorum congregatio. Ipsa enim verè est Ecclesia docens , ipsi inest tota Ecclesiæ autoritas. Undè fit ut Conciliis generalibus denegari nequeant , ab omni erroris periculo circa fidem et mores immunitas , et alia privilegia Ecclesiæ divinitus concessa.

Obj. 4^o. Nisi Rom. Pontifex in definiendis fidei et morum quæstionibus sit infallibilis , Deus Ecclesiæ suæ non satis providisset : atqui illud suspicari non licet ; ergo , etc.

Resp. Neg. maj. Humani ingenii non est , ait

Opstraet statuere quomodò aut quantum Deus Ecclesiæ providere debuerit. Solam enim rationem si consulamus, facillè nobis persuadebit, non Pontificem duntaxat Rom. sed et singulos Episcopos erroris periculo eximendos fuisse, ut Ecclesiæ bono satis consuleretur. Hoc solum ex Scriptura et Traditione cognoscimus, à Deo Ecclesiæ consultum iri, quantum satis est ut adversus eam non prævaleant portæ inferi, ad salutemque perveniant omnes electi. Utrumque autem fieri potest, quamvis infallibilis non sit Rom. Pontifex. Si quem enim in fide aut moribus errorem toti Ecclesiæ proponeret, certum est huic nunquam consensuram esse universam Ecclesiam, sed Pontifici fortiter resisteret, ideoque seductionem effugere possent electi. Præterea si Deus Ecclesiæ non satis providere potuit, nisi Rom. Pontificem ab omni circa fidem et mores erroris periculo liberaverit, curare etiam debuisset, ut certò constaret illud privilegium, alioqui nihil profuturum: atqui id non fecit Deus; ergo Ecclesiæ satis providit, quamvis Papæ non concesserit ab omni circa fidem errore immunitatem.

Inst. Nisi Rom. Pontifex sit infallibilis, per totum tempus quo non celebrabitur Concilium generale, nullum erit tribunal ad quod certò recurri possit in dubiis: atqui tunc Ecclesiæ Deus non satis providisset; priusquam enim Synodus congregetur, urgere posset necessitas aut aliquem errorem damnandi, aut veritatem definiendi; ergo Deus Ecclesiæ suæ defuisset, nisi Papa foret infallibilis.

Resp. Neg. maj. Semper enim exhibet Ecclesia ad quam recurri possit, etiam dum in Concilio generali non est congregata. Sic, v. g. cum cœperant Lutherus et Calvinus Ecclesiæ fidem circa Eucharistiam, cultum Sanctorum aliaque dogmata impugnare, potuerunt fideles, antequam coge-

retur Synodus Tridentina, ad universam Ecclesiam per orbem diffusam sese convertere, atque ex illius sensu, Traditione et usu quid credendum esset dignoscere. Si verò, post inquisitam diligenter Ecclesiæ fidem, incertum sit quid circa quempiam articulum Ecclesia sentiat, poterunt fideles, absque ullo fidei dispendio, iudicium suum cohibere, definitionem Ecclesiæ expectare, cum sincera huic sese subjiciendi mente, statim atque innotuerit.

CAPUT IV.

An Romani Pontificis autoritas ad res tum spirituales, tum temporales, pertineat.

QUESTIONEM aggredimur quam, licet ex se facillimam et apertissimam, impediunt et penè obscurarunt quorundam Pontificum agendi ratio, præjudicatæ Theologorum opiniones, et falsa de rebus Theologicis iudicandi methodus; scilicet cum Romani Pontifices, jam à pluribus seculis, de terrenis aliquot Regnis, pro suo arbitrio statuere, et iis Principes spoliare non semel tentaverint, fecit innata erga summum Pontificem reverentia, ut Theologi multi in animum induerint, eum pro suo jure id egisse, et agere deinceps posse, ex facto jus æstimantes, quod pessimum fuit in rebus Theologicis exemplum. Hinc Romani Pontificis autoritatem, non ad spirituales tantum, sed etiam ad res temporales et politicas, pertinere pronuntiarunt.

Horum vero Theologorum duæ sunt classes. Alii enim docuerunt per adventum Christi, omnia Principum infidelium dominia ad Ecclesiam translata esse, et in Papa, ut in summi Regis Christi Vicario, residere: ideo putant eum posse omnium